

QVARTA QVÆSTIO.

An consilium Rebeccæ, quo filium ad patrem
dolo circumueniendum instruit,
sit excusabile?

RESPOND.

Si factum examinetur ad regulam, & si humano tantum affectu & ratione inducta dolum instituit, videtur excusari non posse. Nam peccat primo in maritum Isaac, quem cæcum deludit, ponens ei offendiculum contra legem: *Maledictus, qui errare facit cæcum in via.* Deuter. 27. 18. Potius sano consilio, rationibus & precibus maritum flectere, & ad obtemperandum oraculo inducere debuit. Deinde in filium Esau, quem paterna benedictione spoliatur. Tertio in Iacobum, quem ad fallendum patrem, & ad mentiendum instruit: & insuper paternæ maledictionis periculo, & hostili fratris odio exponit. Quarto in seipsam, dum præcipitantia muliebri maledictionem filii in se recipit, suo ei cauens periculo de fallaciæ dubio euentu. Quinto in Deum denique, cuius consilium dolo & mendaciis promouere cogitat, neque dum ipse oraculum suum impleat, exspectat, faciens malum vt eueniat bonum, contra regulam Apostoli Rom. 3. His & similibus argumentis si ponderetur factum Rebeccæ, vituperabile fuit, pertinetque ad infirmitates sanctorum, quas in historia sancta Spiritus sanctus commemorat, non vt imitemur, aut vt morose exagitemus, sed vt de communi imbecillitate commonefacti humiliemur.

Negari tamen non potest, consilio huic in speciem subdolo, reuera autem prudenti, nec tam ad maritum fallendum, quam ad errorem mariti corrigendum instituto eximiam præluxisse fidem. Hoc etiam fatetur *Caluinus*, qui alioqui putat dolum Rebeccæ vitio non carere, & fidem eius zelo non recto nec moderato permixtam fuisse. Etsi autem

A omnia sanctorum facta excusari non posse in confesso est: tamen in ambiguis charitas semper meliorem partem deligit, vbi subest causa probabilis, vt hoc loco. Si enim consilium fluxit ex fide certo statuente, benedictionem Testamentariam deberi Iacobo, & errare maritum hærentem in Esau, vtique non potest damnari.

Sunt autem duo in eo: ipsa translatio benedictionis ad Iacobum, & translationis modus. In vtroque fidei argumenta non sunt obscura. Nam deberi benedictionem Iacobo certa erat primo ex oraculo: *Maior seruiet minori.* Secundo ex eo quod in partu acciderat. Tertio ex vendita Iacobo primogenitura. Quarto ex Elau profanitate, discessione à fœdere per impia connubia. De occasione vero & modo traducendæ ad Iacobum benedictionis singulari Dei instinctu fuisse edoctam, pia est & communis veterum Theologorum sententia: quam omnes fere circumstantiæ confirmant, rem totam videlicet diuinitus ita gestam esse: quod Isaac nimis amans impium Esauum, cæcitate præparatur ad corrigendum errorem: quod ante benedictionem appetit ferinam, cum statim ei benedicere potuisset: quod assuetus ferinæ hædinas epulas non discernit: quod vocem Iacobi agnoscens tamen benedicit: quod Esau, dum res domi conficiatur, foris detinetur: quod denique agnito errore de dolo non conqueritur, sed benedictionem Iacobo ratam facit. Hæc & alia ostendunt, singulari prouidentia Dei Isaacum ita gubernatum esse, vt filio primum offerenti edulia benediceret: & Rebeccam, vt primum offerendi edulia Iacobo auctor esset: & Iacobum, vt primum offerendo edulia benedictionem consequeretur. Etsi igitur quod Dei monitu ita egerit Rebecca, expresse non dicatur, tamen ex circumstantiis pie ita statuitur: sicut nec expresse dicitur, quod Isaac

Zzzz. 3. Dei

1
2
3
4
5
6